

bitur, ut, quum super cœnam recordatus, quòd nihil cuiquam toto die præstitisset, exclamaverit: *Amici, diem perdididi.* Hic verò observandum, Liberalitatem in gradu excellenti dici Magnificentiam, μεγαλοπρεπείαν, quæ definitur ab Arist. lib. 4. Ethic. cap. 4. in principio, quòd versetur circa magnos sumptus, nimirum, quibus erogandis pauper sufficiens esse non potest, quod expressè dicit c. 5. διὸ πένης μὲν ἔκ αὐτῆς εἶναι μεγαλοπρεπείης. Porro ut hujus virtutis natura rectiùs intelligatur, notentur sequentia theoremata:

1. Non est liberalis, qui spe benevolentiae vel lucri alicui benefacit; quia non facit Ἐπιγαλῆ ἐνεργεῖν, unde Plutarchus: *Parum liberalis est, qui expectat vicissitudinem.* Corruptores igitur iudicum non sunt liberales.
2. Liberalis non dat promiscuè omnibus, sed duntaxat dignis. Per dignos autem intelliguntur egeni & quicumq; opus habent auxilio nostro. Sic ergo excludimus validos mendicantes, qui nostris beneficiis deteriores efficiuntur, ideoque erga eos non possumus esse liberales. Interim tamen etiam malis benefaciendum, non quatenus sunt mali, sed quatenus homines sunt, & spem emendationis præbent. Ejusmodi Liberalitas dicitur ἐλεημοσύνη, quia exercetur ex commiseratione seu ex misericordia, unde ipsum donum eleemosyna dici consuevit, German. ein Almosen; quæ quomodo eroganda sit, docetur Matth. 6. v. 1. & seqq. &c.
3. Liberalis dat pro facultatibus, nach seinem Vermögen. Nec enim beneficiū ex quantitate, sed ex affectu æstimandum est, ἐκ τῆς Ἐδιδόντος ἕξεως, ait Arist. lib. 4. Ethic. cap. 2. Vide exemplum viduæ pauperis Luc. 21 ab initio capituli. unde liquet, etiam pauperem posse esse liberalem.
4. Liberalis non dat invitus, sed ἠδύως ἢ ἀλύπως, id est, cum jucunditate sine molestia. Nam hilarem datorem diligit Deus, 2. Cor. 9. v. 8. Siracides c. 34. v. 11.
5. Liberalis dat citò. Nam bis dat qui citò dat. ὡκείαι χεῖρες γλυκερώτεροι, ait Lucianus.
6. Liberalis dat de suo. Nulla enim liberalitas conjuncta est cum alterius damno. Papa igitur non est liberalis, quum, quod fraude ad se rapuit, erogat: das jeder stehlen / vnd die schuch vmb Gottes willen geben.

Magnificencia

Theoremata

1.

2.

Eleemosyna

3.

4.

5.

6.